

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Enoch Svantenius Johannes Dietericus Tuchscherer

**Collegii Super Augustana Confessione Privato-Publici Disput: III. : exhibens  
Articuli Primi de Deo Uno, & Trino partem alteram, una cum Antithesi**

Rostochii: Kilius, [ca. 1672]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740887092>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1672

Svantenius, Enoch *ja*







I. N. J.  
**COLLEGII SUPER AUGU-**  
**STANA CONFESIONE PRI-**  
**VATO-PUBLICI**  
**DISPUT: III.**

*exhibens*

**ARTICULI PRIMI**  
**de DEO UNO, & TRINO**  
**partem alteram , unā cum**  
**ANTITHESI.**



*Quam,*  
**Juvante REGUM REGE JESU,**  
 Consensu Venerandæ Facultat. Theologicæ,  
 In illustri ad Varnum Academia,

*PRÆSIDE*

**E NOCHO SVANTENIO.**

S.S. Theol. D. & Profess. Ordinario

Publico , ad D. Jacob. Ecclesiaste ,

*publico Eruditorum examini s̄lit*

**JOHANNES DIETERICUS Tuchſcherer!**

Hertzhornā Holsatus, designatus Patriæ Ecclesiastes.

*d. 14. Febr. in Auditorio Majori*

**ROSTOCHII,**

Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

*1672.*

V I R O

Summè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo  
DN. DN.

M. JOHANNI HUDEMANNO,

Theologo veterano Eximio, Pastori Crem-  
pensium per tot jam annos meritissimo, Regio  
per Holstiam Superintendenti Generalissimo  
maxime inclyto.

nec non

VIRIS Per quam Reverendis, Doctissimis & Amplissimis

Dn. M. PETRO SARTORIO,  
Pastori Tycheopolitanorum vigilan-  
tissimo, pariter & dignissimo.

Dn. CHRISTIANO PREN-  
GERO, apud Borsflethenses Pastori iti-  
dem vigilantissimo meritissimoq;

Dn. JOACHIMO HENRICO,  
Pastori Hertzhornensis Ecclesiae jam di-  
gnissimo, vigilantissimo, suo respectivè Dno  
Collegæ dilectissimo.

Dominis Mecænatibus, Promotoribus,  
ac Amicis suis summo semper amoris ac ho-  
noris cultu prosequendis

Hoc quicquid est Disputationis Theologice

D. D. D.

Johannes-Dietericus Luchscherer.  
RESPONDE N. S.



## I. N. 7.

### Thef. I.



Uplex uti est cognitio DEI, una  
absoluta, ratione essentiae, altera  
relativa, ratione personarum; ita  
Confessio quoque nostra in divinis  
unitatem afferit, Trinitatem in U-  
nitate agnoscit, pie, ac religiose  
credit.

Th. 2. Ab illâ, quæ & rectæ  
rationis est, quod vidimus, Roman:  
1. 20. ad hanc, quæ meræ est revela-  
tionis, Matth. 16. v. 17. adeoque ad ter-  
tium nostrum de personarum Divi-  
nitatis Trinitate, membrum progreditur ita:

Th. 3. Una est Essentia Divina, & tamen tres sunt per-  
sonæ, ejusdem essentiae, & potentie, & coæterna, PATER, FILI-  
US, & SPIRITUS SANCTUS.

Th. 4. Breve quoque personæ (ut vocabulum illud, quid  
sibi vellet, constaret) addit notationem: & nomine personæ,  
inquit, utuntur et significatione, quâ usi sunt in hac causâ. Scri-  
ptores Ecclesiastici, ut significet, non partem, aut qualitatem, in  
alio, sed quod propriè subsistit.

Th. 5. Tria hic proponuntur expendenda (1.) Termino-  
rum Ecclesiasticorum (Personæ, & Trinitatis) qualitas. (2.) Perso-  
narum in Divinitate & Pluralitas & præcisè earundem Trinitas (3)  
Patris, Filii, & Spiritus Sancti oμεσοτια, & equalitas.

Th. 6. Voces, (Personæ & Trinitas,) licet ομεσοτια  
A 2 tot

tot syllabis non legantur in Scripturā, ex eadem tamen res ipsa-  
deducitur καὶ διάνοια, εἴ τὰ πεάγματα ὄμολογάμεν, τί δῆμο  
Φεύγομεν τὰ οὐόματα quod sic demonstro:

Th. 7. Tres esse in cœlo, Patrem, Filium, & Spiritum S.  
I. Joh. 5. v. 7. Scriptura disertè affirmat, affirmando Trinitatem  
utique profitetur, profitendo his tribus personæ definitionem ac-  
commodat, accommodando singulis illis definitum quoque com-  
petere non negat.

Th. 8. Pulchre Augustinus: *Licuit loquendi, & disputandi*  
*necessitate, tres personas dicere; non quia Scriptura dicit, sed quia*  
*Scriptura non contradicit, ut aliquo modo cum queritur, quid tres?*  
*respondendo, Personæ, intelligatur quid sit.*

Th. 9. Confessio igitur nostra, ut omnem litem declinet,  
& indefinitè, & definitè, quid voce personæ intelligat, studiosè  
declarat.

Th. 10. *Indefinitè: dum nomine personæ, inquit, utuntur*  
*(Ecclesiæ) et significacione, quā usi sunt in hac causa Scriptores*  
*Ecclesiastici.*

Th. 11. *Definitè: & quidem (α) νήστης αἰσθαντι addit, ut non*  
*significet partem, aut qualitatem in alio (prout vulgo sumitur) &*  
*(β) νηστὸς Ιησοῦ, sed quod propriè subsistit. h.e. modo summe fin-*  
*gulari perfectissimog.*

Th. 12. *Τρισύνορος* quidem vox tempore Athanasii in  
Græcā Ecclesiā fuit recepta: testante Historia tripartita l. 6. c. 31.  
Latīna verò Ecclesia recepit vocabulum *Personæ* in hoc Articulo  
pauld post Apostolorum tempora, depravato ab Arrianis & Sa-  
bellianis *Τρισύνορος* vocabulo Græci Theologi vocabulum *τρι-*  
*σύνορος* adhibuerunt videsis Chemnit: part: 1. L. L. Theol. p. 190.

Th. 13. Vitilignum hoc Græcorum & Latinorum super his  
terminis *τρισύνορος*, qui & Hebr. 1. 3. reperitur, & *τρισύνορος*,  
cujus quoque vestigia abstractivè leguntur 2. Corinth. 1. 10. & 13. 6.  
non facimus hac vice nostrum, retinentes personæ definitionem,  
communiter receptam, quæ intelligentis naturæ incomunicabilem  
dicit substantiam, adeoque substantia est individua, intel-  
ligens, incomunicabilis, non sustentata, in vel ab alio

Th. 14. Nee inter *Essentiam*, & *Personam* hoc ipso voca-  
bulo.

bulo saltim ὀνοματικὴν constituimus differentiam, sed realem  
licet non Essentialēm (essentia enim omnibus tribus personis com-  
munis est) sed personalem & τῆς Θεούτης propter alium atq; alium  
τῆς ὑπόχειας τρόπον, quod Pater subsistit à seipso, Filius à Patre,  
Spiritus Sanctus ab utroque suam habeat ὑπόχειαν, quasi dicas,  
unam personam non esse aliam, patrem non esse filium, & filium  
non esse patrem, neque filium Spiritum Sanctum.

Th. 15. Alter terminus Trinitatis (cui respondet Trias)  
fundatus pariter est in jam jam citato dicto i. Joh. § 8 ubi ejus con-  
cretum extat de tribus in cælo testibus, Ἡ τοι ὁ τρεῖς εἷς εστι, tres qui  
dicit unum esse in concreto, utique Trinitatem re ipsa in abstracto  
agnoscit.

Th. 16. Abstractum præterea in antiquissimis quoque ec-  
clesiæ Scriptoribus est frequentatissimum, notans absolutè positi-  
tum, non aliquod compositum, sed singularem, & incomprehen-  
sibilem terminum s. Tres Personas unius Essentiæ.

Th. 17. Unde quoque triplicitas hic locum non habet,  
quia ea tum in aequalitatis companionem, tum essentiæ multiplicati-  
onem infert, quasi triplex esset quod ex tribus compositum, quod  
impium foret de Deo dicere, summè simplicissimo, summè (ut ita lo-  
quor) unitissimo.

Th. 18. Maneat ergo TRINITAS, qu. TRIUM UNITAS,  
tres habens in una essentia existendi modos, Tres in una essentia  
personas, germanicè ex usu magis quam ex re dictas Dreifaltig-  
keit rectius Dreieinigkeit.

Th. 19. Tertius his addi potest, qui & in A. nostra Confessi-  
one indigitatur Ὀμοότονος terminus, ejusdem essentiæ & potentiae  
cum dicitur, Pater Filius & Sp. S.

Th. 20. De Origine hujus vocis Augustinus ita: Adver-  
sus impietatem Arianorum hereticorum novum nomen Pares  
(Nicæni Concilii) ὄμοότονον considerunt, sed non rem novam tali  
nomine significarunt: Hoc enim vocatur ὄμοότονον, quod est: E-  
go & Pater unum sumus, unius videlicet ejusdemque substantiæ.  
Per id (quod Christus Joh. 10. v. 30. de se & patre dicit, Ego &  
Pater unum sumus) Arium perculit, per id, quod ait, sumus, sa-  
bella.

*Bellum stravit, cum nec sumus, de uno, nec unum diceret de diverso.*

Th. 21. Porro ad probandam in Divinitate Trinitatem, (quod secundum est, & quidem præcipuum, A. nostræ Confessionis de hoc mysterio membrum) præmitti solet Personarum in una Essentiâ Pluralitas, & sic deinde determinari stabilirique distincta Personarum Trinitas.

Th. 22. Personarum Pluralitas & collectivè & distributivè præprimis verò ex septem testimoniorum deduci solet clasibus (a) è dictis, ubi D E U S de se ipso pluraliter loquitur, Gen. 1. 26. & 3. v. 22. & 11. v. 7. & Esa: 6. v. 8. (b) è dictis ubi opera tribus personis communia recensentur Gen. 1. v. 1. 2. 3. 26. Psal. 33. v. 6. Gen. 3. v. 5. (c) Ex dictis, ubi Nomen plurale constituitur cum verbo plurali Gen. 20 v. 13 & 35. v. 7. 2. Sam. 7. v. 23. (d) Ex dictis, ubi Jehovah, de Jehovah tanquam de distinctâ persona loquitur. Gen. 19 v. 24. Zach. 2. v. 8. 9. 10. Esa. 48. v. 15. 16. Dan. 9. v. 17. Jer. 23. v. 5. 6. & 33. v. 14. 16. Os. 1. v. 7. Zach 3. v. 2. (e) Ex dictis, in quibus Jehovah dicitur habere filium Ps. 2. v. 7. & 72. v. 17. Proverb. 30. v. 4. (f) Ex trinâ repetitione divini Nominis Ps. 50. v. 1. Ios. 22. v. 22. Esa. 6. v. 3. & 33. v. 22. Exod. 10. v. 5. & 3. v. 15. Num. 6. v. 24. 25. 26. Deut 6. v. 4. Ps. 67. v. 7. 8. & 136. v. 1. 2. 3. (g) E. Testimoniis antiquorum Rabbinorum.

Th. 23. Verbo, quoties Scriptura V. T. de Deitate Messiae testimonium dicit, quam plurimi in locis, toties evincitur plures in Deitate esse personas, siquidem necessario persona alia sit, oportet, Jehovah mittens Messiam, alia verò Messias ipse.

Th. 24. Ad definiendam verò præcisè Trinitatem, proponit nostra Confessio duo (1) quod sint tres personæ (2) quæ sint tres illæ personæ, sc. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.

Th. 25. Tres, & non plures nec pauciores in Divinitate esse personas, egregia tum V. tum. N. Testamenti fundamenta probant.

Th. 26. Veteris: quæ jam ex parte vidimus, non pro pluralitate solum, sed & pro Trinitate militantia, utpote opera tribus Personis communia Gen. 1. Ps. 43. Joh. 1. Triplicationis nominis Sancti Esa: 6. 3. conf. Joh. 12. ubi ad Filium, & Actor. 28. 25. 26. ubi ad Spiritum Sanctum accommodatur, benedictio Sacerdotalis

ad

ad populum, que ter sit nominato Domino conf. Ps. 67. &c. Num.  
6. Unctio Messiae Ps. 45. ubi mentio fit & ejus qui ungit DEI  
PATRIS, & ejus qui ungitur, DEI FILII, & olei, quo ungitur, DEI  
SPIRITUS SANCTI.

Thes. 27. Quinimò Trinitatis arcanum hoc in Scripturā  
Prophetica adeo revelatum extat, ut singula Personæ quoque suis  
personalibus nominibus ac proprietatibus expressè reperian-  
tur.

Th. 28. Prima Persona etiam in V. T. dicitur Pater, rela-  
tione ad Filium coæternum 1 Sam. 7. & Psal. 89. eò quod hodie i. e.  
in æternitate filium genuerit. Ps. 2. Secunda Persona dicitur Λόγος  
Gen. 1. Ps. 33. Filius item Psal. 2. 2. Sam. 7. & Proverb. 30. Tertia  
persona dicitur Spiritus DEI Gen. 1. Spiritus oris Domini, imò di-  
fertà & expressâ voce Spiritus Sanctus Ps. 51. Esa. 64. &c.

Th. 29. Adeoque mysterium hoc non primum post multa à  
Christo & Apostolis secula est revelatum, nec in N. derqum Testa-  
mento, sed cum Ecclesia & mundo ipso cepit. Act. 3. v 18. Deus  
que prænunciavit per os omnium suorum Prophetarum, pati  
Christum suum sic implevit & v. 24. Omnes Prophetæ à Samuele  
& deinceps, qui locutis sunt, annunciarerunt dies hos Gen. 1. 26.  
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. cap. 19.  
Dominus pluit super Sodomam & Gomorrah Sulphur & ignem,  
à Domino de Cælo.

Th. 30. Quamquam etiam utrobique diversi gradus reve-  
lationis sint, tām quoad claritatem cognitionis, quām quoad res  
ipsas revelatas, sufficienter tamen & quantum Patribus ad salutem  
cogniti necessarium fuit, patesactum est. Act. 15. v. 11. Per gra-  
tiam Domini Iesu Christi credimus Salvari, quem admodum &  
illi.

Th. 31. Quamquam item dicta V. T. non æquè clara sint  
ac Novi, id tamen, quod ibi non nihil obscurum est, ex novis libris  
Canoni Judæorum superadditis, ex clarioribus & evidenterib[us]  
tum dictis, tum apparitionibus, ecclesiæ & Prophetis factis, ho-  
rumque interpretationibus debuit illustrari Heb. 1. v. 1. 2. Multi-  
fariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis,  
novissimè diebus istis locutus est nobis in filio.

Th. 32. Hæc fides explicita & distincta trium Personarum.

S. S.

S. S. Trinitatis cognitio ad salutem prorsus necessaria est, nec si ne dispendio salutis à quoquam ignorari potest 2. Thess. i. v. 8.  
Dominus Jesus in flamma ignis dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri JESU CHRISTI.

Th. 33. Quæ necessitas dependet partim à mandato Dei, jubentis, ut omnes Salvandi baptizentur & credant in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum Matt. 28. 9. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.

Th. 34. Partim à medio ad adipescendum vitam aeternam, à Deo ordinato Joh. 17. v. 3. Hæc est vita aeterna (medium ad vitam aeternam) ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Jesum Christum.

Th. 35. Novi v. Testamenti, cui clarior hujus tam stupendi Mysterii reservata lux est, adeò inveniuntur S. S. Trinitatis documenta illustria, ut non nisi propria voluntate oculos impietatis fascino sibi ipsi perstringenti incognita ea esse queant.

Th. 36. Primum illorum de promittitur ex solenni illa revelatione omnium trium personarum in Baptismo Christi factâ : ubi Patris vox de Filio è ecclesi auditâ: Filius ipse in Jordane baptizatus fuit: Spiritus, autem, Sanctus in specie columbae apparuit Matt. 3. 16. Luc. 3. 22. Johann. 1. 32. & seqq.

Th. 37. Secundum ex Institutione baptismi nostri, quem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti conferendum esse mandatum Christi severissime præcepit Matth. 28. 19.

Th. 38. Addi possunt Tertiæ probationis loco illa Scripturarum testimonia, quæ partim Patrem à Filio, ut lignamentum à genito Ps. 2. 7. ut mittentem à misso, Johann. 8. 16. Patrem item & Filium à Spiritu Sancto dilucidè distinguunt Johann. 14. per totum fere caput. imprimis v. 16. & c. 15. & 16 partim vero Trinitatem personarum ἀυτοληγεῖ afferunt & confirmant, quale est 1. Johan. 1. 3. Communio nostra cum Patre, & Filio ejus Iesu Christo, cui Spiritum Sanctum jungit Apostolus 1. Cor. 12. 3. Nemo potest dicere Iesum Dominum, nisi per Spiritum Sanctum.

Th. 39. Confer quoque aureolum illud unum instar omnium 1. Joh. 5. v. 7. TRES SUNT QUI TESTIMONIUM dant in cœlo, PATER, VERBUM & SPIRITUS SANCTIUS, & hi TRES UNUM sunt.

Th. 40. Tres itaque Divinitatis sunt Personæ, PATER,  
FILIUS, & SPIRITUS SANCTUS.

Th. 41. Pater æternus, est Persona non nata, sed quæ ge-  
nuit ab æterno Filium sibi ἐμόσιον imaginem sui, & unà cum Fi-  
lio spirat Spiritum Sanctum sibi consubstantialem Ps. 2. 8.

Th. 42. Filius est secunda Trinitatis persona, à Patre ab  
æterno genita, unà cum Patre uno quodam communi actu  
producens Spiritum Sanctum, ejusdem cum Patre divinæ essentiæ,  
& Majestatis, quæ in plenitudine temporis veram, ac integrum  
naturam humanam in singularitatem personæ suæ, propter nos  
homines, & propter nostram salutem assumens, caro facta est, de  
quo C. D. in Loco de Christo.

Th. 43. Spiritus Sanctus est tertia persona Trinitatis, à Pa-  
tre, & Filio, velut ex uno fonte essentiali ineffabili modo ab æterno  
procedens.

Th. 44. Hæc quia superant eaptum humanum, quomodo  
talia vel esse, vel fieri queant, & à naturâ ignorantur, ex solâ revela-  
tione supernaturali innotescunt Matth. 16. 17.

Th. 45. Unde etiam ex solâ illa, non ex ratione, & natu-  
rali ejus lumine erui, probari, aut repugnari debent i. Corinth. i. v. 20.  
& seqq. Ilbi sapiens? ubi scriba, ubi inquisitor hujus seculi? non-  
ne stultam fecit DEUS sapientiam hujus mundi? nam quia in DEI  
sapientia non cognovit mundus per sapientiam DEI, placuit  
DEO, per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

Th. 46. Reverenter igitur & piè quoque similitudines ex  
naturâ de promptæ huic mysterio, exemplo Patrum, sunt applican-  
dæ, utpote, de Animæ potentia & viribus, mente, notitiâ, &  
amore, de igne habente motum, lucem, fervorem, de arcu cœlesti  
tribus differentiis distincto, de sole currente, fulgente, calente &c.  
quæ quodammodo quidem illustrant, sed plane absque expresso  
DEI verbo nihil probant.

Th. 47. Augustinus ita, l. i. de Trinitat. De hac re summa  
& excellentissimâ cum modestiâ, & timore agendum est, & atten-  
tissimis ac devotis auribus audiendum, ubi queritur unitas Tri-  
nitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti: quia nec periculosius ali-  
cubi erratur, nec laboriosius queritur, nec fructuosius invenitur.

Th. 48. Terminos hactenus vidimus in hoc S. S. Trinitatis  
B myste-

mysterio pensitandos , vidimus quoque & Personarum in Divinitate pluralitatem , & praeceps earundem Trinitatem.

Th. 49. Restat , quod ultimum est , theseos confessionis A. de DEO membrum , trium nempe Personarum operatione & aequalitas , qua de C. nostra ita : Et tamen tres sunt Personæ , ejusdem essentia , & potentia , & coæterne .

Th. 50. Hæc enim est fides Catholica de DEO , ut unum DEUM in Trinitate , & Trinitatem in unitate veneremur , neque confundentes Personas , neque substantiam separantes : alia enim est Persona Patris , alia Filii , alia Spiritus Sancti . ; Sed Patris & Filii & Spiritus Sancti una est Divinitas , equalis gloria , & coæterna Majestas , dicente Athan. Symbolo .

Th. 51. Tria hic insinuantur ad operationes trium Personarum mysterium sobrie cognoscendum omnino necessaria (1) Ordo (2) Proprietates characteristicæ . (3) opera , tum ad intm , tum ad extra .

Th. 52. Ordo ; et si enim neque temporis ratione , neque dignitatis neq; naturæ , neque compositione sit vel prius , vel posterius in Sacrosancta Trinitate , cuius Personæ omnes simpliciter sunt æternæ , Ordo tamen in verbo DEI delineatur sequens : nempe

Th. 53. Pater est persona prima Sacrosanctæ Triados , quia DEItatis essentiam non ab alio , sed à se ipso habet : Filius eandem essentiam per generationem inpervestigabilem habet à Patre , ideoque est persona secunda : Spiritus Sanctus eandem essentiam per ineffabilem processionem habet ab utroque , indeque persona est tertia .

Th. 54. Ordo hic in Sacris fundatur tum in IeoΦav'ia circa baptisimū Christi , tū quoq; in administratione baptismi nostri à Christo præscripta : Baptizate in nomine PATRIS , & FILII , & SPIRITUS SANCTI . Matth. 28. cui adde Johann. 5. v. 19. & 26. non potest Filius quicquam operari , nisi viderit Patrem operantem , sicut Pater habet vitam in se , ita dedit Filio , & locum classicum i. Joh. 5.

Th. 55. Ordo licet detur in S. S. Trinitate Personarum , separatio tam non datur earundem , dicimus tres personas , sed non ad præjudicium unitatis in essentia , dicimus unum DEUM , sed non ad Confusionem Trinitatis .

Th. 26.

Th. 56. Nec debemus unum cogitare DEUM , quin tria personarum fulgore circumfundamur , nec debemus tres personas distingue , quin subito ad unum Deum feramur.

Th. 57. Credatur à nobis una divinitas , sine *confusionis separatione* distincta , ut nec res singularis putetur in Trinitate persona nec triplex in unitate substantia , sed ita assignetur pluralitas unitati , ne Trinitati subtrahatur *æqualitas*.

Th. 58. Mirè elegantia pariter & piè devota sunt , quæ hic habent Patres , guttulas afferimus ex Mari , rivulos sectamur , fontis obstupecentes profunditate m.

Th. 59. Vitandum est indivinis nomen *diversitatis* , ne tollatur essentiæ *unitas* , vitandum nomen *separationis* vel *divisionis* , ne tollatur diviniæ essentiæ *simplicitas* . Vitandum nomen *disparitatis* , ne tollatur personarum *æqualitas* : Vitandum nomen *alieni* & *discrepantis* , ne tollatur *essentia identitas* , vitandum nomen *singularitatis* , ne labefactetur *una tribus communis Deitas*.

Th. 60. Vitandum nomen *Unici* , ne tollatur Personarum numerus : vitandum nomen *confusi* , ne tollatur Trium personarum *consortium*.

Th. 61. Verbo : *Pater* est Deus , *Filius* est Deus , *Spiritus Sanctus* est Deus , nempe personaliter sumpto vocabulo Dei , & tamen non sunt tres Dii , sed unus est Deus , essentialiter accepto vocabulo Dei , Sic *Pater* est DOMINUS , *Filius* est DOMINUS , *Spiritus Sanctus* est DOMINUS , & tamen non tres sunt DOMINI , sed unus est DOMINUS . Quia sicut singulatim unamquamque Personam DEUM ac DOMINUM confiteri Christiana Veritate compellimur , ita tres Deos aut tres Dominos dicere , Catholica religione prohibemur.

Th. 62. Etsi verò hæ tres personæ unam habeant eandemq; essentiæ , & potentiam et sint coæquales & coæternæ , personarum tamen differentia & proprietatibus characteristicis à se invicem distinguuntur , iisque & internis & externis .

Th. 63. Interne proprietates sunt , quibus Personæ inter se , citra creaturarum respectum distinguuntur , & sunt à γεννησίᾳ , γέννησις ἐκ πρότερος h. e. *ingenitum* , *genitum* , *processio* (paternitas , generatio , filiatio , processio , quo pertinet regula : Opem Trinitatis ad intra sunt divisa .

Th. 64. Proprietatum verò hypostaticarum differentia, uti supra dictum, nec *essentialis*, nec *rationalis*; sed tamen *realis* est.

Th. 65. Proprietates externe sunt, quibus Personæ ratione beneficiorum & præcipuorum operum erga Creaturas, imprimis ecclesiam distinguuntur, quo pertinet Regula:

*Opera trinitatis ad extra sunt indivisa.*

Th. 66. Patris igitur proprietas, cuius personæ prima de quo nemo dubitat, & quidem personaliter sumpto vocabulo patris uti Eph. 3. v. 14 (*essentialiter* enim acceptum totam notat Trinitatem i. Cor. 8. v. 6. Matt. 6. v. 1. Luc. 11. v. 3.) personalis *internalis* & incommunicabilis adeoque characteristica nota est *agenuatio*, quod ingenitus ipse filium ab aeterno genuit.

Thes. 67. Proprietas *externa* & *communicabilis* est *creatio* & *conservatio* omnium: quæ & Filio & Spiritui Sancto communis est.

Th. 68. Pater itaque nominatur *Creator*, non quod excludatur Filius, per quem omnia facta sunt, Joh. 1. v. 3 & Spiritus, à quo omnis cælorum exercitus est firmatus. Psal. 33. v. 6. Sed quod Pater per creationem creaturis se se maxime exserat.

Th. 69. Filii proprietas personalis interna est *genitum esse*, externa Redemptio, Persona quod sit & verus opus omnium Patre & Sp S Deus, demonstrabitur b.c.D. in Artic. de Christo.

Th. 70. Spiritus Sancti proprietas interna, & nota characteristica est, ab aeterno à Patre & Filio procedere, *κατορθεσθαι*, externa, *Sanctificatio*.

Th. 71. pro *opere* *spiritus* S. cum Patre & Filio ista faciunt, quia (1.) ipse est & appellatur *Jehovah*, qui Ex. 4. v. 12. Num. 12. v. 6, in Prophetis se locutum promittebat & per Prophetas Esa. 6. v. 8. Of. 1. v. 2. 1. Sam. 23. v. 2. Ezech. 2. v. 2. & 11. v. 5. loquebatur. Id quod sequentia N. T. testimonia dista Matt. 10. v. 19. 20. 1. Pet. 1. v. 11. 2. Pet. 1. v. 21. Act. 1. v. 16. & 4. v. 24. Heb. 3. v. 7. confirmant (2.) quia diserte vocatur Deus Act. 5. v. 3. 1. Cor. 3. v. 17. & 6. v. 19. & 12. v. 4. s. (3.) Quia essentialia Deitatis attributa Sp. S. tribuuntur, ut quod sit aeternus Hebr. 9. v. 14. immensus Ps. 139. v. 7. Sap. 1. v. 7. Omnipotens, 1. Cor. 12. v. 6. Omnisciens Joh. 14. v. 26. 1. Cor. 2. v. 10. Immutabilis 1. Cor. 12. v. & seqq. perfectè Sanctus Luc. 12.

Luc. 12.12. 1. Corinth. 5. 16. (4.) quia illi tribuuntur opera soli DEO propria, utpote creationis Gen. 1.2. Ps. 33.6. Conservationis Job. 33.4. Ps. 104.30. Esa. 57.16. (5.) Quia eidem assignatur divinus honos Matth. 28.19. Esa. 6.3. nempe, Adoratio &c.

Th. 72. Pro personalitate & subsistentia Sp. S. quod verè sit Persona subsistens, militant 1. apparitiones sub peculiari specie Matth. 3. v.16. Act. 2.v.3 2. completa personarum Deitatis recentio Matth. 28. 1. Joh. 5. 3 Actiones personales , 2. Pet 1 v. 21. Joh. 15. v. 26. Gen. 6. v. 3. Joh. 16. v. 8.4. Dictiones personam significantes ut sunt ἄλλα, οὐκεῖναι, imprimis personam esse Spiritum Sanctū à Patre & Filio distinctam egregiè demonstrat locus classicus caput njm. Joh. 14.

Th. 73. Adeoque ipsa in divinis θείᾳ καὶ τριάδιοι sive essentia , & Persona differunt τὰ λόγω sive ratione , ipsæ vero tres personæ à se mutuò differunt realiter, h.e. ita . ut nulla proprietas personalis alterius personæ fiat propria , maneatq; adeo in S.S. Trinitate alius & alius, non vero aliud & aliud.

Th. 74. In operibus ad extra, nominata una vel altera vel duabus personis, tota intelligitur Trinitas, quod vero ordo personarum non semper servatur fit 1. propter essentiæ unitatem. 2. ad significandam operum communitatem.

Th. 75. Opera ad extra considerantur vel absolutè vel relativè. Absolutè , quando communia sunt tribus Personis , Relativè quando alicui personæ propria sint.

Th. 76. Particula itaque exclusiræ solùs nisi &c. Joh. 17.v.3. Matt. 11.v.27. 1. Cor. 2.v.11. non opponuntur personis divinitatis , sed creaturis, idolis, Deillis.

Th. 77. Repetitâ sic Thesi de DEO UNO & TRINO subjicit A. nostra confessio brevissimè quoq; Antithesin , damnans & ingenere omnes contra hunc Articulum exortas hereses, & in specie duas illarum classes , quarum prior Essentiæ Divinæ Unitatem, posterior Personarū in illâ unâ essentiâ Trinitatem impie corrumpit.

Th. 78. Primum inter illos locum obtinent Manichæi , sic dicti à Manete Persā, ( vid. Epiphanius: hæres. 66. ) cuius discipuli in Græciâ tunc degentes arbitrabantur Magistri nomen à Græco μάννα ( insaniâ ) deduci, composito igitur alio nomine ē μάννα , & Χέω apellarunt Manichæum, qua si Manna fundentem, teste Augustino.

Th. 79. Posuisse hos Manichæos duo Principia: Bonum & malum afferit A. C. (lucem & tenebras) Bonum dicebant esse authorem rerum bonarum, malum V. Conditorem rerum malarum. Originem vide apud Socratem lib. i. Hist. c. 17. floruisse narrantur circa annum Christi 270.

2. VALENTINIANI ab authore Valentino Egyptio, Sedulo platonicae Pythagoricæq; Philosophiæ sectatore, sic appellati, quod varias ille hærefes, Simonis Menandri Basilidis & aliorū admixtis poëtarum fabulis, qu. expolirit, zō οἰώνων s. Deorum generationem Irreligiose commentus. Duplicem habuerunt Deum Unum quem vocarunt profundum, alterū Silentium,) βύθον καὶ σιγὴν, conferatur Irenæus lib. i. c. i. aduersus hæres.

3. ARRIANI, in posteriori classe Trinitatem negantium, suere dicti ab Ario Alexandriæ Episcopo A. C. 324. Deitatem λόγος negantes, ejusq; cum patre ὁμοστοῖαν, adserentes contrā, Λόγον εἶ τὸν οὐτῶν antè res omnes conditum,

Eunomiam ab Eunomio Cicizi Episcopo Arrii discipulo no-men trahentes, statuerunt CHRISTUM filium Deo patri non tantum ἑποστοῖαν, sed καὶ πάντα αὐτοῖς dissimilem in omnibus esse, hinc Anomiani appellati. Sozom. l. 3. c. 10.

Mahometis à Mahometo Sanctorum Propheta & Alcorani authore, quem ex religione judaica Christiana & Ethnica consarcinavit, negantes Trinitatem, & filii Dei generationem, addit C. nostra & omnes horum similes. qui uno nomine dicuntur Antitrinitarii. Deitatem Filii negantes pariter & Sp. S.

Damnat insuper C. nostra Samosatenos. Veteres à Paulo Samosateno Antiochiae Episcopo circa A. C. 270. & Neotericos (dicti sunt Servetiani à Mich. Serveto Hispano in Scholis Mahometricis instituto, qui circa temp⁹ exhibitæ A. C. hæres in Samosateni, resuscitavit & Genevæ Anno 1553. exustus est) qui cum tantum Unam Personam esse contendant (qua pro diversitate operationis modò patris, modo Filii, modo Spiritus Sancti nomine veniat) de Verbo & Sp. S. astutè & impè Rhetoricantur, quod non sint Personæ distinctæ, sed quod Verbum significet verbum vocale) decretum Patris de Creatione & redemptiōne) & Spiritus motum in rebus creatum, vel ἐνέργειαν αὐτωρόστοι ) ventilantem agitationem creatam in cordibus Electorum.

Cate-

Cæterū, errores de DEO UNO & TRINO non solum  
Pontificiorum, Calvinistarum, Photinianorum sed & illorum  
præprimis, qui ore quidem profitentur Deum essentiā unum, per-  
sonis trinum, opere vero ipso cultum & honorem illi Soli & uni  
Deo debitum non deferunt, sed per crimen fœdæ idolatrias &  
profligatae turpitudinis vitæ conspurcant, adeoque veritatem in-  
injustitia detinent, jam dudum à cordatis Theologis passim ar-  
denti Zelo alacriter sunt castigati, utinam cum eo  
qui sperabatur, effectu!

❖❖❖❖❖❖❖?❖❖❖❖!❖❖❖❖

Nos piâ S.S. TRINITATIS venera-  
tione sic concludimus.

Profidentes Trinitatem,  
Veneremur unitatem,  
Pari reverentiâ:

Tres Personas afferentes,  
Personalí distinguentes  
A se differentiâ.

Hæc dicuntur relativè  
Cum sunt unum substantivè  
Non tria principia.

Sive

Sive dicas , tres vel tria,  
Simplex tamen est <sup>solia</sup>,  
Non triplex essentia.

Simplex esse, simplex posse,  
Simplex velle, simplex nosse,  
Cuncta sunt simplicia.

Non unius , quām duarum,  
Sive trium personarum,  
Minor efficacia.

Pater , Proles , Sacrum Flamen,  
DEUS unus, sed hi tamen,  
Habent quādam propria.

Una virtus, unum Numen  
Unus splendor, unum lumen,  
Hæc una, quod alia.

Patri proles est æqualis,  
Nec hoc tollit personalis  
Amborum distinctio.

Patri

Patri compar Filioque  
Spiritualis ab utroque  
Procedit connexio.

Non humanâ ratione,  
Capi possunt hæ personæ,  
Nec harum discretio.

Non hîc ordo temporalis,  
Non hîc situs, aut localis  
Rerum circumscriptio.

Nil in DEO præter DEUM,  
Nulla virtus præter eum,  
Qui creat causalia.

Effectiva, vel formalis  
Causa DEUS, & finalis,  
Sed nunquam materia.

Dignè loqui de personis,  
Vim transcendentis rationis,  
Excedit ingenia.

C

Quid

Quid sit gigni, vel processus,  
Me nescire sum professus,  
Sed fide non dubiâ

Qui sic credit, non festinet,  
Et â viâ non declinet  
Insolenter regiâ.

Servet fidem, formet mores,  
Nec attendat ad errores,  
Quos damnat Ecclesia.

Nos in fide gloriemur,  
Nos in unâ modulemur  
Fidei constantiâ.

Trinæ sit laus Unitati,  
Sit & simplex Trinitati  
Coæterna gloria.

Ad

*Ad Prastantissimum*  
**DN. RESPONDENTEM.**

**P**Ostquam per studium constant tua nomina  
Varno,  
In patriam lætus dulcis Amice redis.  
Deterat ætatis florem gens sacra Vacunæ,  
Te juvit sacris invigilasse libris.  
Nunc edis specimen. Deus hos tibi prosperet ausus  
Qui tibi principium, qui tibi finis erit!

*Honori & amori quod debuit cum  
voto felicitatis omnimode*

L. M. Q.

Augustus Varenius, D.

*Ad Per-Eximium*

**DN. RESPONDENTEM.**

**T**E Pater in terris orbum Ditrice reliquit,  
Nuper, at in Patria stat superatq; salus.  
Nam Pater in cælis te suscipit ipse benignus  
Inq; suas laudes te superesse cupit.  
Tutior hanc poterat nec & aquior esse Parente  
Hoc, de quo TRINO differuisse placet.

**P R A E S E S.**

**Majestas**

**M**ajestas Æterna DEI, quam nigra pavescunt  
Tartara, quam tellus contremebunda colit,  
Personis distincta quidem, vi Numinis una,  
Illa Panomphæo jure Triuna Monas:  
Inter adoratos Domini cœlestis honores  
Obsequio colitur, Iavavis Amice, tuo,  
A trucibus, blasphemæ foveat quas turba, loquelis  
Jam pietate tuâ vindice sarta manens.  
Sit faustum! Superi, quorum defendis honores  
Aspirent votis prospera Fata tuis;  
Dumq; sacro veneranda petes mox pulpita clivo  
Cuncta sacris ceptis dexteriora parent,  
Qui venerabundâ pietate hoc Numen adorat,  
Crede sibi Numen sentit & ille pium.

*amicum animum PræEximio Clareq;  
Docto DN. RESPONDENTI  
declaraturus scr.*

**M. Enochus Svantenius.**











*Ad Prastantissimum*

## DN. RESPONDEN

Postquam per studium constant  
Varno.

In patriam latus dulcis Amice r  
Deterat ætatis florem gens sacra Vacu  
Te juvit sacris invigilasse libris.

Nunc edis specimen. Deus hos tibi pro

Qui tibi principium, qui tibi finis

Honoris & amori  
voto felicitati

L.  
Augustus V



*Ad Per-Exinium*

## DN. RESPONDEN

TE Pater in terris orbum Ditrice reliqui

*Nuper, at in Patria stat superatq; s*

*Nam Pater in cælesti suscipit ipse benignus*

*Inq; suas landes te superesse cupit.*

*Tutior hanc poterat nec & aquior esse Pa*

*Hoc, de quo TRINO differuisse plac*

P R

